

6  
70  
DIVINÆ OECONOMIÆ  
ATTINGENTIS

A FINE AD FINEM FORTITER &  
DISPONENTIS

OMNIA SVAVITER id est

PROVIDENTIÆ  
DEI & SANCTORVM

PRÆDESTINA  
TIONIS

ac

MALORUM REPROBATIONIS  
COMPENDIOSA SYNOPSIS  
THEOLOGICA.

In Difficultatum Resolutionibus Theologicis, pu-  
blico Certamini exposita & defensâ per RR. Pa-  
tres Studentes Sacræ Theologiæ Cursores Ordini  
Frum. B. Dei Genitricis semperq; Virginis  
MARIE de Monte Carmelo Antiquæ Regularis  
Observantiæ.

Sub Assistentia R. P. THELESPHORI NIKLASZOWICZ  
S. Th. Doctor. Studiorum Regentis, & Primi Provinciæ  
Diffinitoris.

*In Conventu Vilnensi SS. Omnium ejusdem Ordinis.*

*Anno Domini 1697. Die 31 Mensis Mai*

Ad M. D. O. M. G. B. M. V. ac SS. Omnium Honorem,  
Cum expressa Superiorum Suorum Licentia.



*Academia Vil-  
nis Soc. Sc.*



POTENTISSIMO  
Et  
SANCTISSIMO  
CÆLESTIS MILITIÆ,  
PRINCIPI  
DIVO

MICHAELI  
ARCHANGELO

Sub protectione verò ac pa-  
trocinio ejusdem existenti

PERILLUSTRI ac MAGNIFICO  
DOMINO

D. MICHAELI  
KOSZCZYC.

NOTARIO TERRESTRI VILNENSI

Nec non

PARLAMENTI TRIBUNALITII  
MAGNI DUCATUS LITVANIÆ  
DIGNISSIMO.

D. ac MECÆNATI COLENDISSIMO

Vtramq; ab Alto Felicitatem & Omnem Prosperitatem ani-  
mitus apprecatur Studium Theologicum Vilnense Ordinis  
Carmelitarum antiqvæ Regularis Observantiæ.



96504





Non immerito in conspectu tuo Potentissime ac Divinissime Caelestis Exercitus, Princeps & Antesignane Michaele Archangele, presentat se nostra Theologia de Providentia Dei & SS. Praedestinatione ac Malorum Reprobatione, tuoq; augustissimo Nomini consecrata comparere gestit; Te enim solum eadem Divina Providentia in mundi totius gubernio cooperatorem, & in suprema Curia, fausta nefastaq; sententia, agnoscit ac veneratur Executorem; praesertim ubi ipso Lumine Fidei inspirante, & Spiritu Sancto edocente attestatur Orthodoxa Ecclesia, Tibi soli a summa Potentia traditam potestatem in animas hominum singulas, quarum plurimas, aequa lance indagatus causas, aeternae Gloria coheredes facias; & quae olim, Angelos reprobos, iusto Dei iudicio, privasti sede, supremae Numinis armatus zelo, eandem nunc, Gratia fautor Animabus beatis adimpleas; quapropter Diviniorem te Astrea caelestis substitutorem, in dirimendis litium divortiiis fateri cogitur, quando in tuo honorifico Nomine Divinam potestatem intuetur: si enim Divinissimi tui Nominis etymon spectemus, ait, Praesulum Decus & primas Gregorius Etymologum, Michaele, Quis ut Deus; Ut palam Mundo fieret, Quod quoties mirae Virtutis aliquid agitur; Michaele mitti perhibetur; ut ex ipso actu & Nomine detur intelligi; quia nullus potest facere, quod facere praevalet Deus. Suffragante huic Veritati, eodem Sanctissimo Doctore. Prensae igitur Sanctissime Princeps, faventi dextra huius Theologiae nostrae exantlatum Laborem, quae vel inde Dignitatis suae fulgorem emerebitur, quod in tanti luminis apricum meruit elevari; quam Nomini tuo & Honori in aeterna gratitudinis pignus, dedicamus & consecramus.

Verum sat innutrita haec Theologia nostra caelestibus lenociniis, tandem, sub umbram Gentilitiae tuae Rosae, tot fervoribus lassatum demittit caput. Per illius ac Magnifice Domine, D. MICHAEL KOSZCZYG Notarie Terrestris Vilnensis & Mecenas amplissime. Nec potuit fortunatiorem cursui suo praefigere stationem, quam, ut, post enucleata in circo scientiae, difficultatum molimina, post emensis stadii sui, inter aestuantis Euripi anfractus, ibi quaereret quietis reclinatorium, ubi spes Patriae, Publica Integritas, Vota Civium, Urbis & Orbis Poloni salus, acquiescit: firmiter enim tuo consilio stabilitur Poloniae libertatis sublimitas, quam Athlanteis humeris infixum Polorum succollabatur Firmamentum. Et, ut verius constaret Heroum decora angusto incedere passu, a vitam Domus tuae Rosam, adeo in auge eminentiae attollunt specimina virtutum, ut nec ipsius sa-



gacitatis Conus, illuc possit collimare. Planta verat illam, tua in or-  
phanos pietas; irrigaverat sedati animi incessus; circumfoderat prudēs  
Arbitrium; fovit amico sinu sapientia; tulit alimenta Eruditio; con-  
stantia ad fructus perduxit maturitatem; non sinet emarcescere ater-  
nūm grata Posteritatis memoria, Carmelitana Familia gratitudo in  
flore conservabit. Spoliaverunt decore ad coronāda Mausolea, damna-  
tas olim rosas, brumalis temporis Aquilones, Koszczyeyana vivacio-  
re flore insultat marcoris periculis, cuius vigorem plures quā Cydaris  
fonte, inundant æviterne recordationis aqua ductus; cui, tot laborant  
ingeniorum sagacitates, quot ab ea beneficiorum exeunt congiaria.  
vilipendimus pensiles Semiramidis hortos, dum sub hoc insigni, elapsa  
secula, nomina insignita numerarunt; fastidimus areolas Luculli, Vbi  
caeleste in terris veneramur Elysum: nil illi commune cum Hybla Au-  
thymi venustate; attollit quidem in altum Honoris Conum sectatores  
suos, condonat Fautores, in libero Regno, Libertatis muniis, radices  
tamen non in montium iugis, sed in profunda humilitatis ac humani-  
tatis plantavit fundamento: à quibus non pauciores pullularunt in Pa-  
tria invicti Animi Athlantes, quā quot sarmatica Aquila, Litva-  
nusq; Eques magnanimos spectavit Heroes. Et ne sola Carthago, in-  
ter brumalium sterilitatum rigores florenti herba superbiret, in tua  
Virtutis idem adumbrasti fertilitate, qui è Martiali tabo, minime  
tabescentia avita Rose conservasti Floralia. Veteris Proverbij veri-  
tatem manifestè declaras, Vbi rosei Elogvii, velut de tripode Apollo  
fundis oracula. Strpent perorantem Nobilium sessiones, mirantur Rotæ  
Tribunalitia, Magnatum Augustalia, quoties in publicis privatisq; cō-  
gressibus, datā copiā fandi, mirā verborum rerumq; gravitate, iam  
antiquorum eruis monumenta, iam boni publici, Patriaq; servanda,  
sacra politicaq; suppeditas consilia. Et vel tacente Plinio, Gentilitius  
Flos tuus, virtutis suæ declaravit efficaciam, quando tot in sui generis Prosa-  
piam, conciliavit Familias, quot stupuit orbis Ursinorum. Excellentias, spectavit  
Milesarum diuturnitatem, vidit Gracularum vigores, dignis encomijs Præ-  
nestinarum virtutes, Rosinorum dignitates, Allebanicarum candores, celebravit:  
non desiderantur deniq; Trachiniarum odores: nec immoror, Nominis tui Gloria  
adeo implevit Polonum Orbem, ut ultra Majestatem gloriæ tuæ, extendere non  
possis; quia nihil est, quod Magnitudine suā non occupes. Cape igitur Perillustis  
& Magnifice Domine, in tuum sinum insinuantem se Theologiam nostram; vide  
quanta cum festinatione Resolutiones hæc de Providentia Dei ad Providorem suū,  
de Prædestinatione Sanctorum, ad destinatam spheram, de Reprobatione Malorū,  
ad Probitatem excellentissimæ vitæ, condescendunt; quæ nisi exilitatem suam eru-  
bescerent, procul dubio desideria faterentur, quanta cum anhelatione sub umbra  
floris tui permanere gestiunt. Ne ultra itaq; in accessu reformident, votorum eas  
stipamus comitatu. Posside igitur fortunatos eventus cum Creso, numerata candido  
cum Policrate felici, dies; fiat aurum quidquid contigeris cum Myda, Rosa, quid  
quid calcareris, hæc Tua Virtus meretur, hæc vota Religionis nostræ apprecatur



# DE GENERALI DEI PROVIDENTIA

## Difficultatum Resolutiones Theologicae.

### De Providentiae Dei Quiditate, Existentia, & Varietate.



**D**Ei Providentia definitur esse Praescientia Dei & Dispositio medi-  
rum in Finem a Creatura quacunq; consequendum vel consequibili-  
lem, idq; conformiter ad mentem Doctoris Angelici D. Thomae hinc  
dicentis, quod sit *Ratio Ordinis Rerum in Finem*: & Boetij ab ipso  
citati qui ait: esse *Rationem Divinam quae omnia disponit*.

II. Dari Divinam Providentiam circa Res omnes etiam minimas  
& vilissimas, Lumen Fidei & naturale rationis docent: Fidei quidem  
iuxta illud Sapient: 14. *Tua autem Pater Providentia gubernat.* & Eccles: 1. *Ne di-  
cas coram Angelo non est Providentia.* Quod verò circa omnia etiam minima & vilis-  
sima detur, constat Sapient: 6. *aequaliter cura illi est de omnibus, pugillum & ma-  
gnum ille fecit,* & Math: 6. *Pascit volatilia caeli & vestit fenum agri;* idq; etiam lu-  
men rationis svadet: cum agnoscat Deum esse Autho: & causam universalem omni-  
um quarumcunq; Rerum, eas per Intellectum & Voluntatem producentem & con-  
servantem, & quidem non casu & fortuito, sed omnia ad Fines suos prudenter  
ordinando, iuxta illud ad Rom: 13. *Quae autem sunt, a Deo ordinata sunt,* ac proinde  
de & circa ista Providentiam Generalem habendo.

III. Multiforrem Divinae Providentiae varietatem quilibet agnoscere debet,  
eò quod alia sit Physica, quae Deus disponit & gubernat Res omnes ratione caren-  
tes eas ad Fines ipsis proprios ordinando: alia Moralis quae gubernat Deus Crea-  
turas racionales Liberas, easq; per certa media ordinat in fines à se intentos; quae  
Moralis iterum alia est Naturalis, quae praedictae Creaturae ordinatur à Deo in fines  
naturaliter illis debitos; alia Supernaturalis, quae ordinantur & diriguntur in Finem  
Ultimum Supernaturalem ipsis indebitum naturaliter, idq; per bona opera supernatu-  
ralia consequendum, aut consequibilem; si dirigantur in Finem istum efficaciter  
consequendum, Providentia ista est vera Praedestinatio Sanctorum; si verò diri-  
gantur in istum Finem ineffaciter, & hoc ipso solum ut consequibilem, dicitur  
saltem negativa Reprobatio; interim tam haec quam illa recte dicitur Providentia  
Divina, non obstante quod Praedestinatio magis explicitè designet Actum Volunta-  
tis Divinae, Providentia verò magis explicitè importat Actum Intellectus Divini.

### De constitutivo formali Providentiae Dei & ipsius Quantitate Virtutis.

IV. Formale constitutum Divinae Providentiae est, aequè primò & in recto,  
tam actus Intellectus Divini, quo fines & media ad illos ordinata cognoscit, quam  
Actus Voluntatis Dei, quo per talia media vult creaturas quascunq; ad fines suos  
perducere. Quia Sicut Dei Visio est formaliter Actus Intellectus Dei, ita & ipsius  
Provisio indistincta a Dei Providentia; & sicut Provisio, non est solum mera co-  
gnitio mediorum, sed etiam est preparatio & procuratio eorum ad Finem determi-  
natum per illa consequendum vel consequibilem, ita debet esse etiam formaliter  
& in recto Actus Voluntatis Divinae determinantis se ad talia media sibi per Intel-  
lectum proposita. Vnde S. Damascenus cap: 24. de fide dicit: quod Providentia Dei  
*sit Voluntas Dei per quam res apte congrueq; gubernantur,* quanta autem sit Divina  
Providentia in actionibus tam naturalibus quam liberis causarum secundarum, i-  
isq; bonis moraliter? dicimus esse maiorem, quam sit in artifice peritissimo circa  
molitionem sui artefacti, vel in sagittario perfectissimo in destinatione sagittae ad  
determinatam metam: quia Deo nihil casu & fortuito accidit in naturali, & libera  
bona moraliter, quacunq; operatione, quod plerumq; in opere cuiusvis artificis vel  
sagittarij accidere solet: Deusq; strictiori titulo per suam Providentiam est Author  
& Causa Particularis Actionum bonarum moraliter, quam aliquis temporalis Do-  
minus



minus per suam liberalitatem fit author & causa particularis eleemosynæ, quam famulus pauperi elargitur ejus nomine.

### De Assecutione finis a Divina Providentia intenti.

V. Dei Providentia prout involvit Voluntatem absolutam & efficacem finis alicuius particularis. ad quem ordinat & præparat certa media efficacia semper assequitur hunc finem: quia voluntas Dei absoluta & efficax est, quæ semper impletur & habet effectum, iuxta illud Isaia 6. *Consilium meum stabit & omnis voluntas mea fiet*: prout tamen involvit Voluntatem conditionatam & inefficacem circa eundem particularem finem quo plerumq; frustratur, non semper assequitur hunc finem; Quia Deus suâ Providentiâ, iuxta Apostolum 1. ad Thimoth. 2. *Vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire*; hæc tamen Providentia non semper assequitur hunc finem, cum includat Voluntatem conditionatam & inefficacem finis v.g. salutis; defacto enim non omnes, salvi fiunt & ad agnitionem veritatis veniunt: semper tamen assequitur alium finem communem, quia licet Deus in præparatione & ordinatione mediorum ad aliquem finem particularem v.g. salutem æternam cujuslibet hominis, non intendat efficaciter hunc finem, ut patet ex iam citato Apostolo, intendit tamen efficaciter alium finem communem, scilicet suæ Gloriæ, ostensionis suorum Attributorum, v.g. Misericordiæ & Iustitiæ, quod patet in salute reprobatorum, circa quam datur vera Dei Providentia, ordinans pro illorum salute certa media sufficientia, quam tamen propter illorum incuriam & malitiam non assequitur, sed alium finem communem, nempe ostensionem suæ Misericordiæ in concessis & concedendis medijs, ipsis necessarijs ad salutem; & Iustitiæ in justis panis æternis illis inflicis, vel infligendis pro ipsorum malefactis.

### De Divina Providentia ut prædefiniente vel non prædefiniente antecedenter efficaciter aliquas Actiones Liberas.

VI. Prædefinitionis nomine, hæc intelligendo Actum Divinæ Voluntatis quæ contingenter liberum, quo Deus aliquas actiones creatas necessarias vel liberas prius æternitate & tempore, quàm existant in propria duratione, decernit, & ad finem determinatum ordinat efficaciter vel inefficaciter. Dicimus Divinam Providentiam non prædefinire efficaciter antecedenter actiones liberas moraliter malas, non solum quoad formale id est difformitatem illarum cum lege Dei: (Nam cum illas prohibeat, ipsas quoad formale prædefinire seu velle efficaciter antecedenter priusquam sint, non potest, ne dicatur idem simul nolle & velle: unde sicut de Deo, dicitur Habac. 1. *Mundi sunt oculi tui ne videant malum & respicere ad iniquitatem non potes*, ita de eodem, Psal. 5. dicitur *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*) sed neq; quoad materiale, seu entitatem physicam ipsarum, prout hæc est ab homine, seu prout Deus videt ipsi esse annexam malitiam formalem: quia Sanctitati infinitæ Divinæ repugnat, amore complacentiæ, & ut causæ particulari, sei: svadendo, inclinando, vel auxilia præbendo, velle materiale peccati v.g. blasphemæ, periurij, cui videt malitiam annexam infallibiliter; id enim esset velle & prædefinire efficaciter etiam ipsam formale seu malitiam peccati: cum velle & prædefinire efficaciter vnum ex duobus necessario connexis, sit moraliter velle & prædefinire efficaciter & alterum: ut patet in homine, qui hoc ipso quod velit materiale peccati, cui videt annexam malitiam, moraliter censetur velle efficaciter etiam ipsam malitiam, cum illud materiale volendo, prosequitur objectum turpe in his circumstantijs, in quibus videt illud esse turpe.

VII. Divina Providentia etiam non prædefinit antecedenter efficaciter Actiones liberas bonas moraliter & supernaturales, procedentes ex gratia Christi, correspondente generali ejus intentioni salvandi omnes homines; licet Deus specialem de ipsis habeat Providentiam, ut patet ex 4ta Resolutione. immo autem Partis ratio est, quia gratia Christi correspondens generali ejusdem intentioni salvandi omnes, est mere sufficiens & non efficax, vi cujus Deus non magis prædefinire potest efficaciter actionem aliquam liberam moraliter bonam supernaturalem, quàm vi nostræ voluntatis præcisè: Nam sicut hæc, est ex se indifferens activè & ex se indeterminata ad actionem bonam moraliter, ita & ista Gratia mere sufficiens ex se est, indifferens passivè & indeterminata ad eandem, sed solum determinabilis



bilis a voluntate ad ipsam, ita ut posita sola determinatione voluntatis, seu eadem indivisibili actione, quæ voluntas cum gratia agit, hæc exeat in actum bonæ operationis liberæ; aliunde præsupposita præmotione latè physicâ ad hanc actionem: hinc autem sequitur, bona opera negativè Reproborum, seu non Electorum positivè ex massa perditionis; item & bona opera Prædestinatorum, non perseveranter talia sed interrumpenda aliquo peccato mortali, uti sæpe contingit, non esse à Deo prædefinita efficaciter antecedenter, ut pote procedentia solum à gratia Christi nullo modo efficaci sed mere sufficienti subjecta determinationi voluntatis ipsorum.

VIII. Providentia Divina prædefinit antecedenter efficaciter omnes actiones liberas bonas moraliter & supernaturales, quæ procedunt ex gratia Christi correspondente speciali ejusdem intentioni salvandi aliquos præ cæteris, idq; independenter, tam à gratia rigorosè physicè voluntatem humanam prædeterminante ad tales actiones; quàm à scientia strictè media, Divinam Voluntatem dirigente in prædefinitione istarum actionum. *uni Ratio: quia gratia Christi correspondens speciali ejus intentioni salvandi aliquos præ cæteris ( vi cujus gratia fit Prædefinitio istarum actionum ) est semper efficax, seu talis per quam Deus in suis dilectis & Electis ad vitam æternam, operatur non solum posse supernaturaliter bene agere, (quod solum gratiæ merè sufficienti convenit) sed & velle, iuxta illud S. Augustini lib: de corrept: & gratia cap. 12. de illis sic loquentis: Tantum quippe spiritus Sancti gratiâ accenditur Voluntas eorum, ut ideo sic possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur in eis ut velint; Nam si in tanta infirmitate vite hujus ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adiutorio Dei (NB. excludi hic gratiam sufficientem verbis sequentibus) sine quo perseverare non possent, manerent si vellet, nec Deus in eis operaretur ut vellet; inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas succumberet. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humane ut Divinâ gratiâ ( nota efficaciam ipsius ) indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur & ideo quamvis infirma, non tamen desiceret nec adversitate aliqua vinceretur.* Vnde idem S. Augustinus ostendendo discrimen inter gratiam naturæ integræ, & gratiam naturæ lapsæ, ibidem dicit: fortissimo quippe (puta Adamo in statu naturæ integræ) dimisit atq; permisit, facere quod vellet: infirmis (sc: hominibus in statu naturæ lapsæ) servavit ut ipso donante (iterum nota gratiam efficacem) invictissimè quod bonum est, vellet, & hoc deserere invictissimè nolent. Hæc autem gratia efficax descripta à S. Augustino procul dubio est infallibile medium quo actiones liberæ bonæ moraliter, sicut in tempore infallibiliter efficaciter obtinentur à Deo, ita ab Eodem in æternitate antecedenter efficaciter prædefiniuntur: est enim infallibile Signum, ut pote effectus antecedentis efficaci Prædefinitionis Divinæ, idest volitionis Dei, prius æternitate & tempore quàm sint, illas prædefinentis & ordinantis in finem determinatum salutis: igitur illas solas actiones liberas moraliter bonas, quæ procedunt ex tali gratia efficaci Divinam Providentiam prædefinivisse antecedenter efficaciter, sentiendum & tenendum.

2dæ Sol: idq; independenter tam à Gratia rigorosè physicè prædeterminante voluntatem humanam ad actionem bonam liberam, quàm à Scientia strictè media Divinam voluntatem in Prædefinitione ista dirigente, Ratio alibi fufius prosequenda est. Quia (præterquam quod gratia rigorosè physicè prædeterminans non possit concordari cum libertate bonarum actionum prædictarum: & Scientia strictè media in nostra sententia non detur; illaq; gratis concessâ, videatur discretio unius ab alio scilicet Prædestinati à Reprobo; ac proinde & initium salutis in natura lapsa esse magis à voluntate, quàm à Gratia, ut pote illa, cum sit activè indifferens, prius naturâ determinante gratiam, quàm sit gratia determinata ad actionem bonam, ad quam, cum sit indifferens passivè, non nisi in posteriori natura determinatur) independenter ab istis, est alius modus, quo Divina Providentia actiones liberas, bonas moraliter prædefinire potest antecedenter efficaciter, & defacto prædefinit eadem taliter. Pro quo fit.

IX. Resolut: Modus quo Divina Providentia prædefinit antecedenter efficaciter, actiones bonas moraliter, est in hoc, quod ex speciali intentione Christi salvandi aliquos præ cæteris, detur illis gratia efficax, quæ non fit aliud quàm aggregatum seu pluralitas Gratiarum & adminiculorum ex se sufficientium tot, toties, & tam diu multiplicandarum ex speciali decreto Dei, donec sequatur effectus,



seu actio libera bona moraliter, supernaturalis, vg. Actus Pœnitentiæ vel Amoris Dei finalis; seu, (quod idem est) donec voluntas per gratias ex se sufficientes præventa, & facta flexibilis per ipsas ad bonum opus moraliter, & hoc sensu determinata ad speciem & individuum actus, præbeat consensum & se libere determinet quoad exercitium actus hujus boni operis moraliter. vg. Pœnitentiæ finalis.

Ratio. Quia actiones prædictæ liberæ moraliter bonæ supernaturales, sicut saluâ libertate voluntatis humanæ aliter obtineri non possunt, quàm per prædictum aggregatum gratiarum ex se sufficientium, ita saluâ eadem libertate aliter antecederet efficaciter prædefiniri non possunt, nisi per tale aggregatum: idque clarè probari potest. In primis ex S. Augustino qui de dono Perseverantiæ cap: 14. Prædestinationem SS. (quæ includit Prædefinitionem antecedentem bonorum operum finalium) definit esse *Præscientiam & Preparationem Beneficiorum Dei quibus certissime liberantur quicumque liberantur*. Et lib. 1. ad Simplicianum cap. 19. in illa verba Christi: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum; ait: Trahitur ergo homo miris modis, ut velit; ab illo qui novit intus in hominum cordibus operari, non ut homines nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant*. Modos autem istos alibi, uti de correpti & gratia cap. 2. exprimit dicens: *Aguntur cum dilectione, delectatione & iustitiæ suavitate*. Item de verbis Apostoli Sermon: 13. ait: *Spiritu Dei aguntur, sed Spiritu exhortante, illuminante & adiuvante*. Deinde id confirmatur ex Doctore Angelico D. Thoma quæ: 6. de veritate, ar. 3. in corpore docente: *quod præter ordinem Præscientiæ, ipse ordo Prædestinationis habeat infallibilem certitudinem; nec tamen causa proxima, scilicet: Liberum Arbitrium, ordinatur ad eam necessario, sed contingenter; quod, hoc modo potest considerari: invenimus enim ordinem compossibilem esse respectu alicujus dupliciter: uno modo in quantum una causa singularis producit effectum ex ordine Divinæ Providentiæ: alio modo, quando ex concursu causarum multarum contingentium & deficere possibilem (nota hic multitudinem gratiarum sufficientium) pervenitur ad unum effectum, quarum unamquamque Deus ordinat ad consecutionem effectus, loco ejus quæ deficit, vel ne altera deficiat divinâ Providentiâ taliter gubernante, quod non omnia deficiant, uno deficiente, & hoc modo est in Prædestinatione: liberum enim Arbitrium deficere potest à salute; tamen in eo quem Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat, quod vel non cadat vel si cadat, quod resurgat, sicuti exhortationes, suffragia, dona gratiæ & alia hujusmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem*. Ex quibus locis S. S. Augustini & D. Thomæ, manifestè sequitur, gratiam efficacem, non esse aliud, quàm aggregatum seu multitudinem gratiarum & adminiculorum ex se sufficientium, in operando contingentium, & deficere possibilem, tot, & toties, ac tandem ex speciali Decreto Dei multiplicandarum, donec sequatur effectus seu actio libera moraliter bona & supernaturalis; seu donec voluntas sub aliqua illarum indeterminate, præbeat consensum ad actum bonum supernaturalem vg. Pœnitentiæ actualis finalis. Ex his autem rectè

Colligitur 1<sup>mo</sup> Efficaciam gratiæ in actu imò benè constitui, in omnium istarum Gratiarum sufficientium pluralitate ex speciali decreto Dei multiplicanda, donec sequatur effectus, seu actus bonus liber supernaturalis; aut saltem in eo, quod voluntas rationalis pro aliquo priori temporis tot & toties, talibus Gratijs sit præventa, ut si illis in illo priori non responderit, in aliquo posteriori constituta, in primo puncto flexibilitatis suæ, per resistentias præteritas acquisitæ, illis infallibiliter respondeat præbendo consensum in actum bonum supernaturalem: per hoc enim quod se efficaciter determinante voluntate ad aliquam gratiam moventem, sequatur talis consensus, aggregatum illud dicitur efficax; & per hoc quod subsit absolute Dei decreto, vi cuius augeri debeat donec sequatur effectus seu ille consensus, dicitur infallibiliter efficax.

Colligitur 2<sup>do</sup> concordiam libertatis cum dicta Gratia efficace, consistere in voluntatis determinatione libera cujuslibet distributive & determinate Gratia, ad actum vel non actum; aut in eo quod pro illo priori determinate & secundum se sumpto, possit se determinare vel non determinare voluntas ad actum bonum supernaturalem: cum supponatur ad hunc actum, nonnisi quælibet gratia ex se sufficiens, cui distributive & determinate sumptæ semper resisti potest, ut patet, licet collectivè sumptis omnibus ex decreto Dei multiplicandis, donec sequatur effectus,



non quam resistatur, ob modo iam dicta.

Neq; timendum, quod forte in tali efficacia Gratia, subsit aliqua fallibilitas actus boni supernaturalis, cum supponatur qualibet Gratia distributive sumpta, posse falli, seu actum istum posse non ponere. Quia licet hoc supponatur, cum hoc tamen certum est, Voluntatem humanam etiam in malo obduratam sepiissime ex sua innata instabilitate ob nonnulla motiva valde fortiter & cito, huc vel illuc flectere se posse, & quidem ad bonum, si motiva ad hoc sint inclinantia: talia autem motiva perfectissime novit Deus, & illa pro libitu multiplicare potest, & applicare, imò saepius applicat; propter quod S. Augustinus de correptione & Gratia cap. 14. ait: *Deo enim velle & velle in volentis, aut nolentis est potestate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Et infra: *Deus sine dubio habet humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem &* ibidem. *Magis habet Deus in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas.* quia autem voluntas humana cuilibet Gratia & motivo ex se sufficienti distributive sumpto, debet posse resistere, ut in sensu composito sit libera, hocq; colligitur clare ex damnata ab Innocentio X. Propositione Iansenij hac scilicet: *Interiori Gratia in statu nature lapsae nunquam resistitur,* ideo ne prædefinitio Dei efficax, sit fallibilis, in Deo debet esse Decretum speciale de multiplicandis illis gratijs & motivis, tot, & toties, ac tandiu, donec voluntate se determinante sub aliqua illarum, sequatur Effectus ad est actus supernaturalis VG. Penitentia Finalis.

Neq; timendum 2do: ne Modus hic Prædefinitionis, quo Deus etiam independentem a Scientia strictè media providet Prædestinato plura auxilia quam sunt simpliciter necessaria ad actum salutiferum obtinendum, & ita quidem ut si unum vel aliud reddatur per voluntatem inefficax, alia tandem vel unum aliquod ex ipsis indeterminate est futurum infallibiliter efficax, arguat in Deo imperfectionem confusionis alicujus, vel ignorantia certi medij ad actum salutiferum obtinendum. Id inquam timeri non debet in nostra sententia; quia modus hic, non arguit majorem in Deo imperfectionem confusionis vel ignorantia, quam sit in eo, quod Deus sicut in Potentia indifferente active sive in voluntate præcise, ita & in Potentia indifferente passive scilicet in Gratia ex se sufficiente, non cognoscat futurum effectus, id est actus nostros liberos futuros; Sicut enim hoc est impossibile, ita nobis impossibile videtur Deum posse efficaciter obtinere actum bonum supernaturalem Liberum ut talem, absq; eo quod media ex se ad illum indifferencia, & in operando contingencia, uti sunt auxilia ex se sufficientia, utilia cognoscat & adhibeat toties & tandiu donec sequatur; idq; asserimus conformiter ad mentem Doctoris Angelici D. Thomæ 1. P. Qu. 19. Art: 8vo in corpore dicente. *Vult autem Deus quaedam fieri necessario, quaedam contingenter &c. & ideo quibusdam effectibus apta ut causas necessarias, que deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniant: quibusdam vero aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniunt, non igitur propterea effectus voliti à Deo, eveniunt contingenter, quia cause proxima sunt contingentes, sed propterea quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eas preparavit.* Verum quia omnes futuri effectus & actus voluntatis humanæ, sunt ab æterno secundum quid, realiter physice Deo præsentem, ( ut cum commoniori Thomistarum sententia docemus ) ideo nullum est instans quo non videt Deus sua auxilia efficacia, uti nullum est instans, quo non videt actus Voluntatis ab istis auxilijs cum Voluntate produci. Horum tamen actuum existentiam, & istorum auxiliorum efficaciam seu connexionem cum his actibus non videt in ullo auxilio sufficienti distributive sumpto, sed in se ipsis, & in auxiliiorum istorum aggregato ut præcise distincto ab actibus istis; seu ut actu producente hos actus ex determinatione Voluntatis, per talia auxilia inclinata moraliter in ipsos. Unde non debet dici Deus confuse ignoranter procedere in prædefinitione antecedenter efficaci per tale aggregatum Gratiarum ex se sufficientium alicujus actus supernaturalis, attentâ hac visione, imò & attento hoc auxilio ut sic præcise determinato & secundum se sumpto; quia impossibile est Deum in illo ut sic, ut pote ex se indeterminato ad ullum actum videre actus bonos futuros. Ut diximus.

C

DE



# DE SPECIALI DEI, PROVIDENTIA, Seu PRÆDESTINATIONE SANCTORUM, DIFFICULTATVM RESOLUTIONES THEOLOGICÆ De Existentia, Quiditate, & Constitutivo formali Prædesti- nationis Sanctorum.

I. **S**umptâ Prædestinatione prout idem est ac præordinatio alicujus in finē vitæ æternæ, ac proinde prout significat actionem Dei quâ contingenter liberam, quâ Angelos & homines ab æterno ordinavit & destinavit in vitam æternam per media ad ipsam consequendam efficacia, hoc sensu accepta Prædestinatio datur in Deo, iuxta fidem, ut patet ex scriptura ad Ephes: 1. *Prædestinavit nos in adoptionem Filiorum Dei*, item ad Roman: 8. *Quos præsciuit & prædestinavit*: tum quia de fide est homines & Angelos consequi Beatitudinem æternam, igitur ad illam consequendam debent esse ab æterno præordinati, cum enim illa superet vires naturales & capacitatem Angelicæ naturæ & Animæ, non possunt eam consequi nisi per media supernaturalia ad eandem ordinentur, hæc autem ordinatio est ipsamet Prædestinatio & quidem ab æterno, prout ly præ, denotans antecessorem æternitatis ad tempus, innuit, iuxta illud 1. ad Corint: 2. *Prædestinavit Deus ante secula*.

II. Quiditas Prædestinationis in hoc tota est, quòd *Sit Præscientia & Preparatio Beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumq; liberantur*. Iuxta S. Augustinum de dono perseverant Cap: 14. quæ Definitio coincidit cum alijs Definitionibus & præsertim D. Thomæ dicentis: quòd *Prædestinatio fit Ratio transmissionis Creature rationalis in Finem vite æternæ*. Idem enim est Ratio Transmissionis, ac præscientia & preparatio Beneficiorum Dei. Definitio illa ut fit clarior, in ipsa: imò ly Præscientia, non denotat scientiam simplicis intelligentiæ aut strictè Mediam sed visionis Præscientiam ut apertissime docet S. Augustinus de Prædestinatione: SS. Cap: 10. dicens, *Prædestinatione quippe Deus ea præsciuit que fuerat ipse factururus*, & Cap: 17. *Electi sunt ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præsciuit*. Futurorum verò factorum præscientia non est simplicis intelligentiæ, aut strictè media, sed visionis scientia. 2do ly *Preparatio beneficiorum Dei*, denotat, decretum Dei efficax de concedendis medijs per quæ electi certissimè liberentur è massa perditionis, & deducantur in finem æternæ beatitudinis. Vnde 3tio per ly Beneficiorum Dei, denotantur ea omnia quæ Deus ex decreto suo prædestinativo facit, ut certissimè liberentur quicumq; liberantur, ac proinde per illa beneficia intelliguntur Gratia communes reprobis, seu solum sufficientes; (quia alioqui Deus non aliter se haberet ad electos & reprobos, etiam si ex parte horum præsupponeretur præscientia sive strictè media sive visionis, de bono usu ejusmodi Gratiarum sufficientium, in electis: sic enim dicendo (ait S. Thomas Qu: 6. de virtute, art: 3.) *non diceretur Prædestinatus differre à non Prædestinato ex parte ordinis, sed tantum ex parte præscientiæ eventus, & sic Præscientia esset causa Prædestinationis; nec Prædestinatio esset per electionem Prædestinantis, quod est contra auctoritatem scripturæ & dicta Sanctorum*) sed Gratia efficaces infallibiliter, ut per hæc Prædestinatio non solum habeat certitudinem ex parte præscientiæ, sed etiam ex parte ordinis iuxta eundem S. Thomam ibidem sic dicentem: *Vnde præter certitudinem Præscientiæ, ipse ordo Prædestinationis habet infallibilem certitudinem*, puta propter gratias efficaces infallibiliter connexas cum perseverantia finali in bono, ad quæ sunt ordinatæ, independentè à scientia strictè media, idq; conformiter ad mentem ejusdem Doctoris Angelici, qui in lib. ad Annibal: dist: 4. quæ: unica Art: 2. de Prædestinato homine ait: *Adhibentur & plurima beneficia, quibus conservatur ne à fide desiciat, ut puta intercessiones Sanctorum, exhortationes & Gratia dona, quæ omnia simul collecta certum ordinem habent ad consecutionem finis*.

III. Constitutivum formale Prædestinationis Sanctorum æque formaliter consistit tam in actu Intellectus Divini, qui est præscientia visionis, quàm in actu Voluntatis Divinæ qui est electio Gratia efficacis ad consequendum finem Beatitudinis



nis: quia S. Script: Prædestinationem Sanctorum, interdum explicat per actum Intellectus, ut ad Rom: 8. *Quos præsciuit & prædestinavit*, & ibidem cap. 11. *Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit*, intellige per scientiam visionis, iuxta S. Augustinum supra citatum; & clare de dono Perseveran: cap. 18. Vbi ait, *minus negare, & dubitare permittitur, ait Apostolus, non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit*, Prædestinationem significare voluisse, præsciuit enim reliquias, quas secundum electionem Gratia fuerat ipse factururus, hoc ergo prædestinavit, sed prædestinasse est hoc præsciisse, quod fuerat ipse factururus: interdum explicat per actum Voluntatis ut ad Rom: 9. *Iacob dilexi Esau autem odio habui*: & ibidem 11. *Reliquie per electionem Gratia salvæ factæ sunt*: & Ester: cap. 13. *Non est qui possit resistere voluntati tue, si decreveris salvare Israel*. *Dilectio autem, odium, electio, decretum*, sunt actus Voluntatis. Vnde S. Fulgentius de verit: Prædestinat: & Gratia cap. ultimo dicit: *Neminem posse mutare Prædestinationem, sicut nullus potest vincere Dei Voluntatem*. Docetq; congruens ratio Prædestinationem æquè consistere in actu Voluntatis prædicto; quia homo ratione Prædestinationis secundum quod importat in recto & formaliter, multum obligatus Deo manet, cum sit magnum beneficium propter quod ei sempiternas gratias agere debet: ratione autem solius præscientiæ, non est obligatus eidem, neq; illa est magnum beneficium homini, cum se extendat etiam ad reprobos damnationem, igitur obligatus debet esse Deo, ratione solius volitionis Gratia efficacis, quæ est homini magnum beneficium, ac proinde Prædestinatio etiam in dicta volitione æquè in recto & formaliter consistere debet. Ne autem detur locus dubitandi quænam volitio Dei sit de constitutivo formali Prædestinationis Sanctorum: Sciendum in Deo reperiri actus Voluntatis ipsius sola ratione distinctos, sc: *imūm*, quo vult seu intendit efficaciter, dare Gloriam alicui electo; *2dum*, quo vult ipsis dare gratiam efficacem finalis perseverantiæ in bono seu Iustificatione. *3tium* quo vult ipsos electos salutem consequi per istam efficacem Gratiam perseverantiæ. *2dus* istorum Actuum Voluntatis Dei est ipsemet in quo consistit formaliter Prædestinatio & significatur in definitione, nomine Præparationis Beneficiorum Dei. Nec contrariatur S. Thomas dum 1. P. Qu: 15. Art: 4. dicit *Prædestinatio secundum rationem supponit electionem & electio dilectionem* quia per ista verba non vult quod Prædestinatio præsupponat electionem gratia efficacis tanquam medij necessarij ad salutem, in qua solum electione dicimus formaliter consistere Prædestinationem, sed solum vult præsupponere electionem e massa perditionis unius præ alio homine, propter quod subdit & electio Dilectionem, puta præsupponit; fateamur autem ultro quod Prædestinatio præsupponat electionem finis vel personæ ad finem ultimum & sic non consistat formaliter in ista electione, idq; secundum S. Thomam ibidem: *Vnde Prædestinatio aliquorum in salutem eternam præsupponit secundum rationem, quod Deus velit illorum salutem*: sed negamus quod Prædestinatio secundum rationem præsupponat volitionem seu Electionem mediorum, de qua hic agimus dum Prædestinationem in illa consistere formaliter volumus.

### De effectu Prædestinationis, quatenus hæc est volitio Dei efficax dandi Gratiam, & Gloriam.

IV. Quia iuxta commune axioma *illa que sunt priora in intentione, sunt posteriora in executione*, & Gloriam executio, ut potè finis Prædestinationis quæ volitionis Dei efficacis mediorum, ad illa, est posterior, executione mediorum, ideo hic prius de medijs ad Gloriam tanquam prioribus in executione agendo; & per Prædestinationis, effectus in genere, intelligendo, ea omnia, quæ procedunt ex Voluntate Dei efficaci dandi aliquibus gratiam & gloriam, ad illamq; infallibiliter consequendam ex applicatione meritum Christi efficaciter conducunt & ordinantur, per eundem vero in specie, intelligendo omnia illa beneficia quæ Deus ex Decreto suo efficaci Prædestinativo defacto facit ut electi certissime liberentur iuxta supra traditam definitionem Prædestinationis ex S. Augustino. Dicimus non solum naturalia dona naturæ, uti sunt fanitas, bona complexio, indoles & ingenium &c. innata naturæ, quæ reperiuntur sæpe in Prædestinatis, sed neq; omnia dona gratia, uti sunt auxilia sufficientia seu supernaturales illuminationes in intellectu, inspirationes & inclinationes in voluntate, justificationes, & alia tam actualia quam habitualia dona supernaturalia non perseveranter bona sed interrupta peccato mortali esse effectus Prædestinationis, & idem dicendum, de omnibus occasionibus & oportuni-



tunitatibus ad bonum, ac quibuscunq; alijs adiumentis, quæ ad vitam æternam quomodocunq; sed non perseveranter, & hoc sensu non efficaciter conducunt. Ratio quia non magis Prædestinati, habentes hæc omnia, per ista certissime & efficaciter liberantur e massa perditionis, quam reprobi; nisi ista omnia speciali decreto Dei ordinentur ad confluendam Gratiam actualis & finalis Perseverantiæ; quandoquidem hæc solâ gratia datâ certissime liberantur, per hancq; solam efficacissime quilibet Prædestinatus ordinatur ad vitam æternam teste S. Augustino de correptione & Gratia cap. 6. ubi ait: *Quis in æternam vitam potuit ordinari* (id est efficaciter prædestinari iuxta illud ejusdem de Correp: & Grat: cap. 6. *Qui ordinati sunt in vitam æternam ipsi sunt Prædestinati*) *nisi perseverantiæ dono? quandoquidem qui perseveraverit usq; in finem, hic salvus erit.* Unde & ex alijs locis, S. Augustinus ut ostendat, solam perseverantiam esse effectum Prædestinationis; de dono perseverantiæ cap: 9. sic ait: *illud omnibus Fidelibus debet esse certissimum. hunc esse Prædestinatum, cui datur Perseverantiæ: illum non esse, cui non datur,* supple quamvis cætera omnia supra dicta ex Dei liberalitate concedantur. Hinc autem.

Colligitur, gratiam Sanctificationis, & merita electorum, per illam condignificata, non esse effectus Prædestinationis, si sint per mortale peccatum interrupta, sed solum esse effectus & Gratias Dei Providentiæ supernaturalis, communes reprobis, quod intelligendum de istis, quatenus unum fieri in Prædestinato decernuntur a Deo: alioqui quatenus, post peccatum mortale commissum decernit Deus ea omnia restaurare & reviviscere, sequenti aliqua Iustificatione, quæ iam amplius non fit peccato mortali interruptenda, & hoc sensu ad confluendam actualis Perseverantiæ finalis Gratiam illa opera ordinentur a Deo, esse effectus prædestinationis infra docebimus.

V. Supposito, quod Gratia actualis supernaturalis quæ conducit homini ad bene operandum supernaturaliter propter vitam æternam consequendam sit duplex; una scilicet: sufficiens, quæ est donum seu auxilium Dei supernaturale, sine quo voluntas non potest opus bonum supernaturale velle, & quo posito est proxime potes illud velle & agere, hæcque Gratia, ideo vocatur ab alijs possibilitatis, & sine qua non; altera efficax quæ est donum seu auxilium Dei supernaturale, quo Voluntas bonum opus supernaturale defacto & re ipsa infallibiliter agit, hæcque Gratia vocatur ab alijs, auxilium quo, & Voluntatis, siquidem defacto semper operatur in Voluntate velle & perficere: hoc inquam supposito, & præterea quod Gratia sufficiens modo explicata, detur omnibus hominibus ad salutem consequendam uti a libi docemus. Afferimus effectum Prædestinationis seu electionis ad Gratiam & Gloriam non esse unam Gratiam actualem, quæ datur a Deo, Prædestinatis, seu electis ab æterno ad vitam æternam in mortale relapsuris, sive in Iustificatione non perseveraturis ininterrupte. Quia gratia quæ est effectus Prædestinationis, debet esse illa Gratia actualis, quæ quis possit in vitam æternam efficaciter ordinari; & per quam iuxta Apostolum ad Romanos 6. *Liberati a peccato servi facti sunt iustitie; & in qua,* (iuxta S. Augustinum de corrept: & grat: 6.) *Stabant usq; in finem donante sibi illo Perseverantiam, qui eos præsciuit, & prædestinavit, & secundum propositum vocavit, & iustificavit, & glorificavit.* una autem gratia actualis quæ datur a Deo Prædestinatis in mortale relapsuris, non est talis, per quam quis possit in vitam æternam efficaciter ordinari, cum non sit Gratia Perseverantiæ finalis, per quam solam aliquis efficaciter ordinatur in vitam æternam iuxta S. Augustinum supra, sic aientem: *Quis in æternam vitam potuit ordinari nisi Perseverantiæ dono? neq; est talis, per quam liberati à peccato servi facti sunt iustitie:* quia libertas à peccato, & servitus ad Iustitiam, quæ esse potest per unam Gratiam actualem peccato mortali interruptendam, non est illa, in qua sancti in Regnum Dei prædestinati (de quibus idem S. Augustinus) *Stabant usq; in finem, donante sibi illo Perseverantiam, qui eos præsciuit & prædestinavit.* una igitur Gratia actualis quæ datur a Deo relapsuris in peccatum mortale, non est effectus Prædestinationis, seu Electionis ad Gratiam & Gloriam. Neque Resolutioni nostræ contrariatur S. Thomas hæc Qu: 23. Art: 5. dicens generaliter, *Quidquid est in homine ordinans ipsum ad salutem, totum comprehenditur sub effectu Prædestinationis in communi:* Quia licet D. Thomas loco citato, sub effectu Prædestinationis in communi tam comprehendat unam gratiam actualem sufficientem communem bonis & malis, quatenus illa post ultimum relapsum per penitentiam de ipso, reviviscens unitur fi-



nali Perseverantiæ, & cum illa unum effectum realiter constat; quàm ipsam perseverantiam, cui per penitentiam post relapsum illa gratia actualis sufficiens unitur perseveranter: non tamen comprehendit sub effectu Prædestinationis eandem Gratiam actualem sufficientem quatenus unum ante relapsum concessam & decretam a Deo, quomodo illam ut sic, esse effectum Prædestinationis negamus.

VI. Effectus Prædestinationis quæ est electio ad gratiam & gloriam demum incipit non ante, quando ipsa Perseverantia, nullo mortali interrumpenda, eaq; efficax, prout opponitur inefficaci, concessa Adæ ante prævaricationem, confertur Prædestinatis. imò ratio quia effectus Prædestinationis incipit ab illa Gratia quæ aliquis in vitam æternam ordinatur, & de cuius libertate à peccato & servitute ad iustitiam Apostolus ad Rom: 6. ait: *Liberati à peccato servi facti sunt iustitiæ* iuxta præmissam rationem Resol: 5. illa enim Gratia est beneficium quo certissime liberantur, quocumq; liberantur iuxta definitionem Prædestinat: a S. Augustino supra traditam: Gratia autem illa, est gratia perseverantiæ, nullo peccato mortali interrumpenda, iuxta supra dicta, & iuxta eundem S. August: de corrept: & Grat: cap. 12. dicentem: *Nuno vero Sanctis in Regnum Dei Prædestinatis, non tantum tale adiutorium perseverantiæ datur; sed tale ut eis Perseverantia ipsa donetur; non solum, ut sine ipso dono, perseverantes esse non possint; verum etiam, ut per hoc donum, non nisi perseverantes sint.* 2di, ratio, quia effectus Prædestinationis incipit ab ea Gratia, per quam homo lapsus differt ab homine integro; hæc autem est efficax prout opponitur inefficaci Adæ ante prævaricationem concessa, iuxta S. Augustinum ibidem dicentem: *fortissimo quippe dimisit atq; permisit facere quod vellet. Infirmis servavit, ut ipso donente. invictissime quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissime nollent:* eaq; Perseverantiæ finalis, iuxta eundem ibidem cap. 6. sic aientem: *cum enim perseveraverit quisq; usq; in finem; neq; hoc donum potest amittere, nec alia quæ poterat ante finem; quomodo enim potest amitti, per quod fit.* (nota efficaciam) *ut non amittatur etiam quod potest amitti, igitur, effectus Prædestinationis debet esse Gratia Perseverantiæ eaq; efficax prout opponitur Adæ concessa ante prævaricationem.*

VII. *ima* Gratia efficax vocationis secundum propositum electionis ad gloriam, & perseverantiæ efficacis nullo mortali interrumpenda, quæ solum est effectus Prædestinationis, non cadit sub meritum, non solum Gratia creationis, conditionis naturæ, fidei, ac volitionum naturalium de medicina sanitate & salute, sed neq; sub meritum operum nostræ Voluntatis ut præventæ Gratia sufficienti iuxta generalem intentionem Christi omnes salvandi, omnibus post Baptismum restituta: seu quod idem est, illa gratia efficax quæ est effectus Prædestinationis, non datur à Deo Prædestinatis, per modum præmij propter actus moralis, five naturalis five supernaturalis dignitatem ad tale præmium: ac proinde, omnino gratuito, & independentè à præviis quibusvis meritis etiam supernaturalibus cum Gratia solum sufficiente à Voluntate elicitis, datur electis ad gloriam. *imæ* partis rationem dat S. Augustinus Episto: 91. dicens: *Etsi enim quædam non improbanda ratione dicitur Gratia Dei, qua creati sumus, ut non nihil essemus, nec ita essemus, aliquid, ut cadaver quod non vivit, & arbor quæ non sentit aut pecus quod non intelligit, sed homines, qui & essemus, & viveremus & intellegeremus, & de hoc tanto beneficio creatori nostro gratias agere debemus. Unde merito, & ista Gratia dici potest, quia non precedentium aliquorum operum meritis sed gratuita bonitate donata est; alia est tamen quæ prædestinati vocamur, iustificamur & glorificamur ut dicere possimus, si Deus pro nobis quis contra nos. Et de hac Gratia questio vertebatur, quando ab iis, quos Pelagius graviter ostendebat atq; turbabat, dicebatur ei, quod eam suis Disputationibus oppugnaret; quibus assereret, non solum ad faciendam, verum etiam ad perficiendam mandata Divina, per liberum arbitrium humanam sibi sufficere naturam. Hanc Apostolica doctrina, Gratiam isto nomine appellat, quæ salvamur & iustificamur ex fide Christi, & de hac scriptum est, non irritam facio Gratiam Dei. Ex quibus verbis S. Augustini, contra pelagium, constat, in primis ad perficiendam mandata Divina per liberum arbitrium humanam sibi non sufficere naturam, ac proinde, à fortiori nec opera pure naturalia posse esse meritoria Gratia quæ prædestinati vocamur nam (ut idem S. August: lib: de grat: & libero Arbitr: cap. 5. ait) *Inter cetera quæ pelagio objecta sunt & hoc objectum est, quod diceret Gratiam secundum merita nostra dari, quod sic alienum est à Catholica doctrina, & inimicum Gratia Christi ut nisi hoc objectum sibi anathematisasset, ipse inde Anathematisatus**



exiisset. Igitur Gratia efficax vocationis secundum propositum non cadit sub meritum Gratia creationis &c. ut patet ex S. Augustino & communi sensu omnium Catholicorum.

2da Partis ratio fumitur ex illo Ioan: 15. *non vos me elegistis sed ego elegeri vos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat*: hæc autem electio, quæ est ad fructum & Perseverantiam bonorum operum, ut patet ex ultimis verbis Christi, debet esse omnino gratuita & independens ab ullis meritis etiam supernaturalibus, seu cum Gratia merè sufficienti à voluntate elicitis, sed ex sola gratuita Voluntate Dei procedens; alioqui, verba Christi: *non vos elegistis*, non verificarentur etiam secundum S. Augustinum Tract: 86. in Ioan. ubi dat hujus rationem dicens: *Quoniam, si propterea nos elegisset, quia bonos futuros nos esse præsciiverat, simul etiam præsciisset, quod eum fuisset prius electuri, ac proinde falso dixisset non vos me elegistis sed ego elegeri vos*; siquidem Prædestinati, per merita illa, veluti causam meritoriam electionis, prius elegerunt eum, ut eligeret eos posteriori ista electione, ut pote effectu, causæ meritoria: opus namq; meritorium est opus electionis, seu volitionis eligentis Deum præ creatura. Si ergo ista electione movent Deum ad ipsos eligendum, eligunt Deum ut ipsos eligat, quod ex S. Augustino patet esse falsum. Ne autem primo putetur S. Augustinus loqui de electione ad unam omnino Gratiam sufficientem communem bonis & malis, hancq; solum, & non Gratiam efficacem Perseverantiæ non cadere sub meritum operum supernaturalium, obviatur, ex eodem S. Augustino ibidem dicente: *Hæc quippe electio, Gratia est de qua dicit Apostolus sic ergo & in hoc tempore reliquæ per electionem Gratia saluæ saluæ factæ sunt*, adeoq; per eam intelligit electionem ad Gratiam efficacem saluam facientem; & merito; nam electio ad perseverantiam in fructu bonorum operum, scilicet: ut fructus iste maneat, est electio ad Gratiam prædictam, quod autem electio ista sit gratuita seu independenter ab ullis meritis etiam supernaturalibus ex gratia sufficienti procedentibus patet ex eodem S. Augustino ibidem dicente: *si autem Gratia, iam non ex operibus, alioqui Gratia non est Gratia*: ne autem 2da putetur S. Augustinus per *ly iam non ex operibus*, solum excludere opera puræ naturæ non opera Gratia sufficientis prævenientis Voluntatem hominis lapsi: obstat, quod S. Augustinus excludat opera illa, quæ sæmi pelagiani volebant esse & fieri, à Voluntate humana, simili illi, quæ Adam se stantem à lapso finaliter discernere potuit, quæ non fuerunt in Adamo sine Gratia sufficienti, unde S. Augustinus per merita humana, nostra, à quibus independenter vult dari nobis Gratiam efficacem, intelligit talia, quæ in Adamo ante prævaricationem præveniente Voluntate Gratia sufficienti, fuerunt: ut patet ex eodem, de Prædestinatione SS. cap. 18. ubi ait contra sæmpelagionos: *cernitis autem procul dubio cernitis, quanta manifestatione Apostolici eloquij, defendatur hæc Gratia, contra quam merita extolluntur humana* (puta similia meritis Adæ, propter quod præmiserat cap. 15. *Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet quæ regnat Dei Gratia, per IESVM CHRISTVM*) *tanquam homo prior det ut retribuatur ei.*

Quod autem S. Augustinus de dono Perseverantiæ cap. 6. doceat Perseverantiæ Gratiam, aliquem posse emereri suppliciter, dicens: *Neo enim metuendum est, ne fortè cum perseveraverit homo usq; in finem aliqua mala Voluntas in eo oriatur; hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest, sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest*, non obstat nostræ Resolut: quia loquitur S. Augustinus hic, de Perseverantia consumata, quæ emereri suppliciter potest, non quidem meritis Gratia sufficientis, sed meritis unæ Gratia actualis efficacis, Voluntatem ad orandum pro finali hac consumata Perseverantia determinantis, iuxta illud ejusdem S. Augustini de dono perseverantiæ cap. 16. *Constat Deum, alia etiam non orantibus, sicut initium fidei, (puta perseverantis) alia non nisi orantibus præparasse, sicut usq; in finem perseverantiam; profecto qui ex se ipso (id est vi voluntis etiam Gratia sufficiente præveniente prout Adæ Voluntas præventa fuit) hanc se habere putat, non orat ut habeat.*

VIII. Prædestinatio quæ contingenter libera, eorum qui post peccatum originale, impetrata Gratia justificante, in mortale peccatum relapsi sunt, facta est post eorum absolutam prævisionem non solum mortalium peccatorum, sed & meritorum prout sunt ex gratia sufficienti communi bonis & malis, præveniente Voluntate distincta à Gratia efficaci. Ratio quia Gratia quæ relapsuris in mortale peccatum conceditur non est effectus Prædestinationis quæ contingenter libera, sed illa solum Gra:



Gratia est talis effectus, quæ perseverantiam postea non interrompendam integrat. Ut patet ex præmissis; hæc autem demum conceditur post absolutam prævisionem omnium prædictorum ut patet in omnium sententia; ac proinde & Prædestinatio quæ contingenter libera debet esse facta post absolutam, prævisionem prædictorum omnium, cum hæc ad istam gratiam terminetur. Deinde, iuxta resolutionem nostram hanc, vitatur aliquod grave inconueniens quod ex sententia oppositu nostræ asserenti Prædestinationem esse factum ante prævisa, quæcunq; merita, sequitur; nempe quæcunq; hominem cum libertinis posse dicere & formare tale dilemma; vel sum ante prævisa mea quæcunq; merita absolute efficaciter prædestinatus; vel non sum ante omnia ista prævisa prædestinatus, sed relictus in massa perditionis: si sum absolute prædestinatus ante prævisa ista omnia; ut quid Deus mihi, & alteri Prædestinato dicit, *in timore & tremore salutem vestram operamini*, iuxta S. Scripturam. Ut quid minatur gehennam ne male operer, cum ex suppositione ista antecederet meæ & alterius Prædestinationis ante prævisa ista omnia factæ; teneatur mihi & alteri Prædestinato dare auxilia efficacia, quibus infallibiliter ad salutem æternam perveniamus: immodò & si illis uti nolemus, nos ad salutem etiam inuitos compellere debet, ac proinde si ita sum Prædestinatus, neq; meâ curâ salutis nec incuriã quidquam immutabo. Si verò non sum prædestinatus antecedenter ante prævisa omnia prædicta sed in massa perditionis relictus; quæ obsecro mihi & alteri sincili consolatio ex communi Sanctorum Proloquio hoc sc: *si non es prædestinatus, fac ut prædestineris*. Vel ex monitione S. Augustini Tract: 26. in Ioan: dicentis, *si non traheris ora ut traharis*, ut quid etiam Deus varijs promissis spem vitæ æternæ, in omnibus Christi Fidelibus erigit, omnesq; ad vitam æternam invitat; si iam antecedenter ad prævisa quæcunq; merita & demerita, aliquos decreverit relinquere in massa perditionis; illisq; non dare nisi auxilia inefficacia ad vitam æternam consequendam, prout decernere debuit dum certa est Prædestinatio, & determinatus infallibiliter prædestinatorum numerus, hæc autem inconuenientia iuxta sententiam nostram in Resol: expressam vitantur: nam iuxta illam ad dilemma illud libertinorum responderi potest: Te neq; ullum alium esse absolute prædestinatum quæ contingenter libere: neq; absolute non prædestinatum seu saltim negativè reprobatum quæ contingenter libere, idq; ante ulla prævisa merita vel demerita: sed demum in fine, vel aliquo tempore ante finem vitæ prædestinandum vel reprobandum quæ contingenter libere ac proinde cuilibet curandum iuxta præceptum Christi *ut in timore & tremore salutem suam operetur* & conandum ut prædestinetur, & orandum ut trahatur si nondum trahitur; vel si aliquis iam trahitur, ac bene curat, videndum & timendum ne cadat quæ propter contra illud damnabile Libertinorum dilemma, maximè hîc locum habet Doctrina Sancti Augustini de cor: & Gratia cap. 13. dicentis: *omnes, etiam qui bene currunt, timeant dum occultum est, qui perveniant: propter hujus ergo utilitatem secreti, credendam est quosdam de Filijs perditionis, non accepto dono Perseverantia, usq; in finem, in fide quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquando fideliter ac iuste vivere, & postea cadere, neq; de hac vita, prius quàm hoc eis contingat auferri; quorum si nemini contigisset, tamdiu haberent istum saluberrimum timorem, quo vitium elationis comprimitur donec ad Christi Gratiam, quæ piè vivitur pervenirent, deinceps iam securi, nonquam se ab illa casuros.*

IX. Prædestinatio quæ volitio dandi Gratiam & gloriam electis, ex parte Dei sive secundum quod in recto dicit decretum Dei liberum præcise, est ab æterno simpliciter; ex parte autem creaturæ, sive secundum quod ipsa dicit in obliquo contingentiam, ab aliquo actu creato v.g. productione Gratiaë efficacia, à qua denominatur contingens, sive quæ Prædestinatio contingenter libera, est simpliciter eo tempore, quo Prædestinatus initialem Perseverantiaë Gratiam recipit, sed simul & ab æterno secundum quid, tempore isto quo hanc Gratiam recipit sumpto, quatenus Dei æternitatem respicit, & hoc ipso æternitatis duratione infinitâ & indivisibili mensuratur. imò Partis ratio, quia teste Apostolo ad Ephesios 1. *Elegit nos Deus ante mundi constitutionem ut essemus Sancti & immaculati*. Vnde S. Augustinus de Cor: & Gratia cap. 9. *Quicumq; ergo in Dei Providentissima dispositione, presciti, prædestinati, iustificati, glorificati sunt, non dico etiam nondum renati, sed etiam nondum nati, iam Filij Dei sunt, & omnino perire non possunt, & clarè S. Fulgentius lib. 3. de Verit: Prædestinat: hæc electionis æterna præparatio, ipsa est Divina Prædestinatio, in qua dignè, totum gratuito beneficio Divinae bonitatis adscribitur, quia solo ibi er-*



ga nos *Miserantis Dei charitas iuvenitur*. Hæ autem authoritates, intelligi debēt de Prædestinatione, secundum quod, in recto dicit decretum Dei liberum præcise. 2dæ Partis ratio, quia, imprimis Prædestinatio ex parte creaturæ sumpta ad solam Gratiā efficacem Perseverantiæ finalis, & Gloriam terminatur tanquam ad proprios suos effectus. Vt patet ex præmissis. Deinde omnis creatura acproinde & omni actio creata (à cuius aliquâ, Prædestinatio denominatur contingenter libera,) est simpliciter in tempore, & simul ab æterno, secundum quid; nam alioqui, non admiffa ista creaturarum & actionum creaturarum existentia ab æterno secundum quid, sc: secundum durationem ipsis impropriam æternitatis, difficillimum erit explicatu quomodo Dei præscientia & Decreta Dei libera de futuris contingentibus sic sint realiter ab æterno, ut libertatem nostram non evertant, sed tam eorum esse, quàm contingens, vel non esse tale, ita sit in nostra potestate, quàm actiones nostræ liberæ in quæ cadunt. Cum enim nulla ratione intelligi possit dari potestas in præteritum ut præteritum (quomodo spectatur æternum, quatenus realiter omne tempus & mundum secundum durationem propriam spectatum præcedit) creaturæ rationales quatenus in mundo demum existentes, non magis poterunt habere potestatem in Dei præscientiam & decreta ista quatenus existentia ab æterno simpliciter ut sic, quàm id, quod non est, quatenus non est, habere possit potestatem in id quod est quatenus est; quæ difficultas facile vitatur admissa existentia actionum creaturarum ab æterno secundum quid, sensu dato. Vt consideranti patebit, eamque admittendam esse, svadent authoritates S. Augustini qui clarè lib. 4. de Trinit: cap. 17. ait: *Apud Deum præterita & futura fiunt*, & lib. 5. cap. 16. *apud Deum nec præterita transierunt, & futura iam facta sunt*, utiq; secundum præsentiam realem & actualem secundum quam *vult ea esse præterita* & non solum secundum præsentiam intentionalem & obiectivam, secundum quam Præterita ad huc sunt præsentia; cui consonat illud ejusdem soliloqu: cap. 26. *In conspectu æternitatis tue* (nota non dici scientiæ ut excludat solam intentionalem præsentiam) *quod futurum est* (puta realiter & non solum intentionaliter obiective) *iam factum est*, (puta etiam realiter, ut quid enim sensum mutaret.) concordat D. Thomas quæst: 1. Art: 13. dicens: *Æternitas simul existens ambit totum tempus. Unde omnia quæ sunt in tempore sunt Deo ab æterno præsentia; non solum ea ratione, quæ habet rationes rerum apud se presentes,* (sc: intentionaliter & obiective) *sed quia eius intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate*, puta reali, condistincta ab ea quàm habet Deus apud se intentionalem & obiectivam; quia loquitur S. Doctor de præsentialitate rerum ratione æternitatis simul existentis, & ambientis totum tempus, quæ, ut condistincta à scientia Dei, non potest tribuere rebus futuris, præsentiam pure obiectivam & intentionalem quia cum verè & realiter ambiat omne tempus, etiam omnia quæ sunt in tempore, verè & realiter, non obiective solum & intentionaliter ambire debet, istque denominationem, existentiam ab æterno secundum quid, idest secundum durationem ipsis impropriam & communem tribuere.

Si autem quæras An tempus determinatum quo Prædestinati Gratiā initialem Perseverantiæ accipiunt sit nobis certum. Respond: negative, idque patet ex S. Augustino de cor: & Gratiā cap. 13. dicente. *Quod autem etiam perseveraturis Sanctis sic ista dicuntur, quasi eos perseveraturos, habeatur incertum, non aliter hæc audire debent, quibus expedit non altum sapere sed timere.* Quis enim ex multitudine Fidelium quamdiu in hac mortalitate vivit in numero Prædestinatorum se esse præsumat; quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est Elatio, ut etiam per satana angelum, ne extolleretur tantus collaphisaretur Apostolus. Videturque opposita sententia damnata in trident. sess: 6. cap. 16. ubi post multa dicta subditur: *Quia in multis ostendimus omnes, unusquisque sicut Misericordiam & bonitatem; ita severitatem & iudicium, ante oculos habere debet, neque se ipsum aliquis, etiam si nihil sibi conscius fuerit, iudicare.*

De Prædestinatione Sanctorum quàm contingente ad Gloriam, comparata ad merita an scil: sit ex prævisis meritis nec ne?

X. Antea Prædestinatio quàm contingens comparata fuit ad Gratiā efficacem Perseverantiæ tanquam ad immediatum & minus principalem effectum, nunc comparando illam ad gloriam tanquam ad mediatum, sed principaliorem effectum. Dicimus



mus illam qua contingenter liberā, ad ipsam gloriam non esse ex præmissis meritis etiam supernaturalibus seu, Voluntatis nostræ, Gratiam sufficientem determinantis ad illa (quomodo potuit esse in Adamo ante prævaricationem.) Vnde quâ contingens eorum qui post peccatum originale, impetratâ gratia post Baptismum, in peccatum mortale relapsi sunt, facta est ad Gloriam, post absolutam prævisionem, non solum peccatorum mortalium, sed etiam meritorum ex Gratia sufficienti procedentium, hæcqu; resolutio clarè sequitur ex præmissis Resolutionibus.

XI. Prædestinatio adultorum quâ contingenter libera non est immediate ad gloriam absqu; prævisis meritis sed est ex prævisis meritis finalibus à gratuita omnino Gratia efficaci Perseverantiæ, voluntatem nostram, ad perseverandum successivè determinantis, procedentibus. Dicitur imo Prædestinatio adultorum; quia hi solum sunt meritorum capaces, ut patet ex S. Augustino de dono Perseverantiæ cap. 12. dicente: *nulla quippe merita, etiam secundum ipsos Pelagianos possunt in parvulis inveniri, cur alij eorum mittantur in regnum, alij verò alienentur à regno.* Dicitur 2do quâ contingenter libera quia quâ libera præcisè a nullis meritis sed à sola bonitate ratione nostra dependet: dicitur 3tio a gratuita omnino Gratia efficaci quia *nam Gratiam actualem quæ est Prædestinationis effectus,* non cadere sub meritum Voluntatis nostræ Gratiam sufficientem ad opus bonum determinantis probatum est in præcedentibus.

Ratio autem resolutionis sumitur imo ex S. Scriptura Math: 23. ubi Prædestinatis dicit: *Venite Benedicti Patris mei, possidetis paratum vobis Regnum, à constitutione mundi; esurivi enim & dedistis mihi manducare,* in quo loco, particulæ *esurivi enim* significant Regnum esse paratum sive Prædestinatum Benedictis & electis ad illud, ob merita, sicè contra, ibidem, dum dicitur. *Ite maledicti in ignem æternum esurivi enim & non dedistis* eadem particulæ significant ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus, esse paratum maledictis ob demerita; causalis namqu; illa se: enim, posita tam post *ly paratum,* quam post *ly possidetis,* est ratio utriusqu; saltim loquendo de paratione, seu Prædestinatione quâ contingenter libera. Deinde Mat. 5. vita æterna vocatur merces copiosa dum dicitur *merces vestra* (quæ proculdubio meritum supponit) *copiosa est in celis:* & ad Timoth. 4. dicit: *Corona justitiæ, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ* (quæ etiam opera meritoria supponere debet) *quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex, & non solum mihi sed & iis qui diligunt Adventum ejus.* Vnde merito princeps Apostolorum S. Petrus in sua 1. Epist: cap. 1. monet omnes dicens: *Quia propter fratres satagite ut per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis.* 2do ex S. Augustino de corr: & Grat: cap. 13. *verum tamen quia & ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, à tanto Apostolo Gratia dicitur, oim Gratia non operibus* (intellige similibus quæ in Adamo fuerunt iuxta supra dicta) *reddatur, sed gratis detur, sine ulla dubitatione consistendam est, ideo Gratiam vitam æternam vocari; quia his meritis redditur, quæ gratia* (puta efficax finalis Perseverantiæ) *contulit homini, rectè quippe ipsa intelligitur, quæ in Evangelio legitur, Gratia pro Gratia, idest pro his meritis quæ contulit Gratia.* & Enchirid: 107 *Intelligendum est igitur, etiam ipsa hominis bona opera esse Dei munera, quibus cum vita æterna redditur, quid, nisi Gratia pro Gratia reddatur, cujus rationem dat Epist: 107. dicens Quia vera Dei Gratia dat merita ipsa oim datur.*

Ne autem dicatur S. Augustinus intelligi debere, vitam æternam in executione, reddi propter merita; non vero in intentione seu ex parte Electionis ipsam sumendo, quomodo omnino gratis & independenter ab ullis meritis, aliqui dicunt illam dari. Obstat quia Tract: 76. in Ioan. dicit: *Qui enim diligunt, quia diligunt eliguntur,* & sermone 7. de verbis Domini quos *voluit Dominus, hos elegit, elegit autem sicut dixit Apostolus, & secundum suam Gratiam, & secundum illorum justitiam,* in quibus locis manifestè, vita æterna etiam ex partè electionis & ita in intentione, propter dilectionem, & justitiam meritorum, confertur.

Adstipulatur & lumen adfert S. Thomas hic Qu: 23. Arts: in corpore dicens: *Dicendum ergo quod effectum Prædestinationis considerare possumus dupliciter, uno modo in particulari: & sic nihil prohibet, aliquem, effectum Prædestinationis esse causam, & rationem alterius, posteriorem quidem Prioris, secundum rationem cause finalis, priorem vero posterioris secundum rationem cause meritorie, sicut, si dicatur quod Deus præordinaverit se daturum alicui Gloriam ex meritis & quod præordinaverit se alicui daturum Gratiam ut mereretur gloriam;* hic autem S. Thomas manifestè videtur

96504





detur loqui de præordinatione ac Prædestinatione Gratia & gloria, & non solum de executione ac collatione earum. 3tio etiam, ratio Theologica est, quia intentio dandi gloriam bene operantibus, quâ parte est, intentio contingenter libera dandi præmium, necessario debet esse ex meritis; nam meritum & præmium sunt Correlativa: aliunde intentio dandi gloriam electis, debet esse maius Beneficium ipsis, quàm intentio dandi eandem, non electis, seu saltem negativè reprobis: atqui non aliter potest esse maius beneficium electis, nisi sit intentio illam ipsis dandi ex meritis per gratiam efficacem gratis concessam, efficaciter intentis; quia gloriae intentio ex meritis per gratiam merè sufficientem inefficaciter tantum intentis, generale est mortis Christi Beneficium commune etiam reprobis, igitur intentio illa debet esse ex meritis à gratuita omnino gratia efficaci Perseverantiæ procedentibus.

XII. Prædestinatio ad gloriam quâ contingenter libera, non est secundum gloriae intentionem propter se, si ve independentem à prævisis meritis; & secundum executionem ejus, propter merita, si ve ex prævisis meritis: neq; etiam est tam secundum intentionem quàm secundum executionem, propter merita voluntatis nostræ gratiam sufficientem determinantis ad opus, ut patet ex præmissis, igitur ratio 1ma partis, est, quia per S. Augustinum, gloriae intentio non cadit sub meritum nostrum supernaturale ex Gratia sufficienti procedens, seu non est præmium talis meriti: igitur nec gloriae executio sub illud cadere potest, tum quia intentio gloriae quâ contingenter libera, & executio illa, indivisibiliter coniunguntur; si ve illa executio includitur in illa intentione ut tali, cum intentio quâ contingenter libera, non per aliud nisi per executionem Gratia & Gloriae sit contingenter libera & efficax; tum quia gloriae executio est Gratia maior quàm sit ipsa intentio gloriae: si autem Gratia, iam non ex operibus, alioqui Gratia iam non est gratia ut sapissimè post Apostolum S. Augustinus loquitur: tum deniq; quia ad salvandum, quod nostrum ad gloriam Prædestinatio quâ contingenter libera sit omnino gratuita, & interim gloria detur tanquam merces, Corona iustitiæ, præmium &c. sufficit, quod sit secundum intentionem omnino gratuita ad Gratiam efficacem meritorum ipsius gloriae, propter illa intentæ & exequenda, & præcedens ratio.

Confirmatur quia si per sententiæ opposita patronos, huic loco ex Math: 25. sc: *venite Benedicti Patris mei possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi*, subintelligi debeat, *paratum secundum intentionem* independentem à meritis, & secundum executionem dependentem ab illis, iuxta id quod sequitur, *esurivi enim & dedistis mihi manducare*, inde consequenter sequitur etiam alteri loco ejusdem Math: sc. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus*, proportionaliter subintelligi debere, sub ly paratus, secundum intentionem independentem à demeritis, & secundum executionem dependentem à demeritis, iuxta id quod sequitur: *Esurivi enim & non dedistis &c.* Quia unus & idem est utriusq; loci & discursus, tenor. Hoc autem secundum subaudiri 2do loco, adversarij nolunt & merito: quia id videtur in 3tia Synodo Valentina damnatum verbis his: *Aliquos vero ad malum prædestinatos esse Divina potestate, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum, credere velint, cum omni detestatione, sicut Araficana Synodus illis Anathema dicimus.* Aliunde vero, si nobiscum dicatur modum executionis utrobiq; respondere modò intentionis & è contra, nihil ex inde sequi absurdum patet.

XIII. Nostra igitur Prædestinatio ad gloriam quâ contingenter libera, una est indivisibiliter volitio Dei, Gratiae efficaci, ad merita perseveranter bona & gloriae propter illa, tam secundum intentionem quàm secundum executionem & è contra tam secundum executionem quàm secundum intentionem. Hæc tamen resolutio non obstat ne Prædestinatio quoad meritorum executionem, sit prior gloria quoad executionem: Nam sicut eo casu quo una eadem intentione indivisibili, velit aliquis cras confiteri v.g. & proinde ad integritatem confessionis satisfacere; intentio ista quoad confessionis executionem est prior integritate illius satisfactoria quoad executionem, ita hic in nostro proposito contingit. Ratio autem Resolut: est, tum quia S. Augustinus communiter Prædestinationem ad Gratiam efficacem, & merita ex ipsa procedentia, Prædestinationi ad Gloriam coniungit ut patet ex ejus serm: 7. de verbis Domini ubi ait: *Quos voluit Dominus hos elegit; elegit autem sicut dixit Apostolus & secundum Gratiam & secundum illorum iustitiam* ad stipulatur S. Augustino ejus discipulus, S. Fulgentius lib. 1. ad Monitium cap. 13. dicens: *Quos prædestinavit ad gloriam prædestinavit simul & ad iustitiam:* & cap. 13. in Epilo-



pllogo sic ait: *Deus q̄i condidit hominem, ipse Prædestinatione sua, & donum illuminationis ad credendum, & donum Perseverantia ad perficiendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit preparavit; quib; non aliter ista perficit, quàm in sempiterna, atq; incommutabili habet voluntate dispositum.* nihil autem in istis Authoritatibus est, quod significet duas, etiam ratione, esse in Deo intentiones, unam gloriæ propter se alteram executionis ipsius propter merita sed unicam gratuitam executionis meritorum, & gloriæ propter illa, & merito: tam quia hæc ultima intentio revera sufficit ad SS. Augustini & Fulgentij ac aliorum intentum, & ima superflua est; tum quia quoties Deus ita vult finem & media, ut non velit finem nisi per hæc media, neq; velit hæc media nisi propter hunc finem toties unico & indivisibili actu attinguntur finis & media, sine ulla prioritate etiam rationis; nullum enim signum rationis assignari potest, in quo unum adæquate possit concipi sine alio: Deus autem non vult electorum gloriam nisi per merita & Gratias efficaces, neq; prædestinat Gratias & merita nisi propter Gloriam electorum, nulla igitur potest esse prioritas, etiam rationis, inter electionem ad gloriam, & præparationem gratiarum aut meritorum, eodem enim profus modo, scilicet gratuite, elegit Deus aliquos ad gloriam, quo decrevit, ut a voluntate libera fiant actus boni supernaturales ex Gratia efficaci, scil: independenter ab ullis meritis etiam supernaturalibus ex Gratia sufficienti procedentibus.


**De Reprobatione malorum quid sit, quotuplex & in quo actu formaliter consistat?**

**XIV.** Reprobatio ex opposito Prædestinationis a S. Augustino supra definita, præsupposito iam peccato originali ab Hominebus contracto, definitur *Præscientia & permissio peccatorum, ob quæ certissime damnantur quicumq; damnantur sine relicto, ( præsciendo tamen a positiva & negativa infra explicandis ) in massa perditionis.* Quia sicut Prædestinati Gratia efficaci ab originali damnatione liberantur & è massa perditionis, extrahuntur; ita reprobi eadem damnatione & massa perditionis, ipsa reprobatione ad supplicia æterna relinqvuntur iuxta illud S. Augustini de dono Perseverant: cap. 14. *æterni autem (puta reprobi) Vbi nisi in massa perditionis iusto Dei iudicio relinqvuntur.* Differt tamen Prædestinatio à reprobatione, & è contra in eo, quod prædestinatio causet per se media efficacia ad vitam æternam consequendam, reprobatio autem non causat per se impedimenta Beatitudinis, & ita in reprobatione comparata cum Prædestinatione non tam attenditur actus Voluntatis Divinæ, qui solet causare effectum, quàm potius actus intellectus à quo reprobi absolute vocantur præsciti, & hinc est quod in Deo detur liber vitæ, non verò liber mortis; licet enim Deus in sua memoria tanquam in libro legat tam Prædestinatos quam reprobos, tamen quia negative se habet circa reprobationem positivam illorum, idest circa condemnationem ad supplicia, positive vero se habet circa Prædestinationem passivam seu glorificationem eorum qui salvantur, id eo ipsi non tribuitur liber mortis, in quo scribat damnatos, sed tantum liber vitæ in quo scribit Prædestinatos.

**XV.** Reprobatio modo supra definita est triplex una præcisive negativa, & est præcisive non prædestinatio hominis lapsi præsciendo ab omni actu positivo quo Deus nolit ipsum prædestinare, sive ei Gratias efficaces ad salutem conferre. Altera positive negativa, & est non prædestinatio sub isto actu nolitionis positivæ, seu sub decreto permittendi peccatum finale & negandi Gratias efficaces quibus tale peccatum vitare posset. 3tia deniq; positiva & est Præscientia & præparatio per positivam sententiam, æternæ gehennæ, sive positiva condemnatio ad supplicia æterna. 2da & 3tia communiter ab omnibus admittitur; ima à multis negatur, volentibus omnem reprobationem esse actum positivum, quo Deus iam originali prævisso, ante prævisa merita, Volens electos è massa perditionis liberare, decernens positivo decreto illis non dare Gloriam & media ad illam consequendam denegare. Verum non videtur ista doctrina satis conveniens bonitati & Misericordiae Dei, quinimo ex ipsa sequitur quod Deus non habeat sinceram voluntatem salvandi omnes homines lapsos. 2do quod Gratia Baptismalis, nullum jus reprobis ad gloriam conferat, ut pote iam in priori ab ista positive exclusis 3tio quod Christus non sit sincere pro reprobis mortuus ut salventur. 4to dari illis ansam scordiae & vitæ dissolutionis, imò & desperationis continuæ, quæ absurda in nostra sententia admittente Reprobationem præcisive negativam omnino vitantur.

E2

XVI.





XVI. Reprobatio ut sic formalissime consistit in actu suspensivo positivæ Prædestinationis: reprobatio ut sic, est ipsamet assumptio unius hominis præcise præ alio eligibili, seu Actus quo unus homo, alio negative, seu absq; positivo actu nolitionis, relicto, assumitur, hic autem actus est suspensivus positivæ Prædestinationis hujus alterius, igitur illa in hoc formalissime consistit.

### De Reprobatione facta, ante vel post absolutam peccati prævisionem.

XVII. Reprobatio præcise negativa eodem instanti est, quo fit electorum Prædestinatio, qua contingenter libera; sic ut inter cateroq; æquales uno solo Prædestinato cateri æquales præcise negative reprobentur, & præcise negative reprobati in massa perditionis, ob originale contractum, relinquuntur: hæc tamen reprobatio pro illo instanti præcise negativa, pro sequentibus instantibus, non infert infallibiliter reprobationem positivam, aut positivè negativam. Hujus ratio est quia pleriq; homines, isto instanti præcise negative reprobati, post modum in tempore simpliciter, licet simul ab æterno secundum quid sensu supra dato, sapius prædestinantur.

XVIII. Reprobatio positiva & positivè negativa facta est, post & ex præviso absolute peccato mortali finali: originali quidem solo parvulorum, qui in eo solo moriuntur; actuali vero & originali simul, non baptisatorum adultorum; sed actuali solo, adultorum Baptisatorum in illis decedentium. Ratio imo quia sicut electio & Prædestinatio ad Gloriam est ex finalibus Gratia efficacis meritis, ut patet ex præmissis, ita consequenter reprobatio positiva & positivè negativa debet esse ex finalibus culpæ demeritis: sicut enim Math. 25. dicitur *venite Benedicti &c.* ita ibidem dicitur, *sedite à me maledicti in ignem æternum &c.* *Esurivi enim & non dedistis mihi manducare. &c.*

2do ex S. Augustino lib. 3. contra Julianum cap. 18. dicente: *Bonus est Deus, justus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare; NB. non potest quonquam sine meritis damnare; quia justus est.* & ex S. Fulgentio lib. 1. ad Mon: à cap. 14. aiente: *Offensus itaq; Deus, quid reddendum præseriverit, & quid donandum; prædestinavit illos ad supplicium, quos à se præserivit Voluntatis male vitio discessuros, & prædestinavit ad Regnum, quos ad se præserivit Misericordie prævenientis auxilio redituros, & in se, Misericordie subsequenti auxilio esse mansuros.*

3tio Quia alioq; seu si Deus decrevit aliquos excludere a Regno cælorum ex sola sua Voluntate, quamvis prius non præviderit illorum peccatum mortale absolute futurum, sequitur quod tam damnatio reprobi referri debeat ad Deum tanquam imam causam, quam salus æterna prædestinati; quod est valde inconveniens: sequela est evidens; quia ideo salus electorum refertur ad Deum ut ad imam causam, quia Voluntas dandi Gratiam efficacem & Gloriam per illam consequendam, non sequitur merita ulla etiam supernaturalia ex gratia sufficienti procedentia, prævisa ut causam meritoriam; sed & voluntas excludendi à gloria per adver: nõ sequ: peccata ulla prævisa ut causam demeritoriam Gloria; eo quod Deus in eodem signo permittat peccatum, & decernat exclusionem a gloria, igitur Damnatio reprobi tam refertur ad Deum ut imam causam quæ salus electi, quod repugnare videtur Sac: Scripturis & concilijs, ut Sap. 1. *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum.* Vnde Valentina Synodus cap. 3. *docet in electione salvandorum, Misericordiam Dei precedere meritum bonum: in reprobatione periturorum, meritum malum, precedere iustum Dei Iudicium ex his autem.* Colliges reprobationem quidem præcise negativam, eorum qui non prædestinantur comitari positivam Prædestinationem aliorum qui Prædestinantur; verum cuiusq; reprobationem positivam aut positivè negativam, non fieri ante prævisum mortale finale peccatum iuxta præmissa, à quo ut liberet nos omnipotens & Misericors Dominus, IESVS CHRISTVS per merita sui pretiosi sanguinis pro nobis effusi & intercessionem suæ Sanctissimæ Matris Virginis Mariæ SS. Omnium, ipsi sit gloria, honor, potestas & imperium in seculorum secula. Totum autem hoc scriptum & impressum sit cum humillima, ad Sanctæ Matris Ecclesiæ auctoritatem, submissione.

